



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Protestationes S. Caroli Cardinalis Borromæi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Per merita & intercessionem sanctorum Apo-
stolorum & Evangelistarum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum & san-
ctarum Martyrum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Ponti-
ficum & Confessorum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Docto-
rum. Moriatur.

Per merita sanctorum Monachorum & Eremita-
rum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Sacer-
dotum & Levitarum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctarum Virgi-
num & Viduarum. Moriatur.

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri Cu-
stodes, & omnes Sancti Beatorum Spirituum
Ordines, & vos Beatissimi Patroni nostri N.
N. N. N. defendite nos in praelio, ut non
pereamus in tremendo iudicio.

Tuque ô MARIA, Mater & Virgo, Mater ad-
mirabilis, Consolatrix afflictorum, & Regina
Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut
spiritus noster absque ulla peccati macula, &
pœnæ reatu mereatur à sanctis Angelis susci-
pi, & ad patriam Paradisi perduc.

Amen. Amen. Amen.

Protestationes S. Caroli Cardinalis Borromai.

1. **I**N nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Fi-
lii & Spiritûs sancti, ego infelix & miser
peccator protestor in præsentia tua, ô Angele
Dei,

Dei, assignate mihi à divina sua Majestate pro ductore, cum primùm natus sum, velle & desiderate me mori in eâ solâ, verâ, & Catholicâ fide, quam sancta Romana & Apostolica tenet & profitetur Ecclesia, in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt; nec desidero ditius vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè & ex toto subijcio.

II. Protestor etiam, ô Angele Dei, desiderare & velle me sub tua sancta custodia ac protectione, discedere ex hac vita, cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide; non obstante quâcunque multitudine & gravitate peccatorum meorum, certò sciens ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis D. N. JESU Christi sufficientem futuram fuisse, non solùm me salvandi, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ Majestati.

III. Similiter protestor, ô Angele sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiæ Redemptoris & Domini nostri JESU, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi, scientem, quòd ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi & abominabili, neget ritè contrito & confesso: idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis & mortis, & virtutem pretiosissimi Sanguinis sui, pro me indignissimo in ligno Crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ Matris suæ, Virgi-

nisque Mariæ, & omnium Sanctorum & Angelorum.

IV. Iterum protestor, sanctissime mi Custos, supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam; etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem, dummodo tandem, per ipsius infinitam misericordiam, consequar vitam æternam.

V. Sanctissime & vigilantissime Custos, protestor demùm, constituere me te Procuratorem Testamenti ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi, à Domino meo JESU tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solùm lacrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficaciam & virtute, mitigentur lachrymales illi singultus cordisque pressuræ & angustię, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Mater Dei Maria dignetur me vel unico etiam aspectu ex iis, quos ipsa sub Cruce stans habuit, defigendo in unicum Filium suum virgineos oculos, suscipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis in die judicii obtinebunt salutem & vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus, in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo; ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantissimæ illius charitatis, quæ paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum

tum pro salute peccatorum. Ultima denique gratia est, ut tu idem piissime Custos meus animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam, dexteræ tuæ potentiâ, Redemptori meo offeras; ut eum unâ tecum, & cum Sanctis omnibus in cæli gaudiis videam, perfectè amem, eoque æternaliter fruam, cui sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

§. 2dus.

Peculiaris quadam ad mortem preparatio singulis annis instituenda, & dein per menses continuanda.

DUm juxta leges Societatis nostræ octiduanæ S. P. N. singulis annis obis exercitia. Sacrosanctum tibi sit & inviolabile principium, iis peractis diem insequentem in bona ad mortem præparatione insumere. Et quolibet mense, vel saltem trimestri diem aliquem ab aliis negotiis magis liberum seligere; quo idem facias. Et singulari cum diligentia Orationi, Confessioni, sacræ Communioni, visitationi SS. Sacramenti te impendas, atque in spiritu ad S. Viaticum & extremam unctionem ritè percipiendam disponas. Præxim sequentem suppeditat P. Pinamonti in die decima exercitiorum.

Primò. Oratio sive meditatio hujus diei bis peragetur scilicet manè & vesperi per horam.

In prima Orationis hora imaginaberis tibi, quàm